expectant, ignaviæ voluptatem, et præmia virtutis. Atque etiam quum apud Vos aut
in Senatu verba faciunt, pleraq́ oratione majores suos extollunt; eorum fortia facta
memorando clariores sese putant: quod contra ē. nam, quanto vita illorum præclarior,
tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet: Majorum gloria
posteris qs. lumen ē, neq́ mala eorum in occulto patitur. Hujusce rei ego inopiam
patior, Quirites. Verum id, quod multo præclarius ē, meamet facta mihi dicere licet.
Nunc videte quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex
mea non concedunt: Scilicet quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobili-
tas ē: quam certe peperisse, quam acceptam corrupisse melius ē. Equidem ego non igno-
ro, si jam mihi respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore.
Sed in maximo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosq́ maledictis lacerent, non
placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem ex
animi mei sententia lædere nulla oratio potest: quippe vera, necesse ē, bene prædicet:
falsam vita, moresq́ mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui
mihi summum honorem, et maximum negotium imposuistis: etiam atq́ etiam reputate
num id pœnitendum sit. Non possum, fidei causa, imagines neq́ triumphos, aut consulatus
majorum meorum ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia
dona militaria, præterea cicatrices adverso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc
nobilitas, non hæreditate relicta, ut illis, sed quæ ego plurimis meis laboribus et pe-
riculis quæsivi. Non sunt composita verba mea. Parum id facio. Ipsa se vir-
tus satis ostendit: illis artificio opus ē, uti turpia facta oratione tegant. Neq́ litte-
ras Græcas didici. parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil pro-
fuerunt. At illa multo optima Reip. doctus sum; hostes ferire, præsidia agitare, ni-
hil metuere nisi turpem famam; hyemem et æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem
tempore inopiam et laborem tolerare. His ego præceptis milites hortabor: neq́ illos ar-
cte colam, me opulenter: neq́ gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc ē utile, hoc ci-
vile imperium. Namq́ quum tu per mollitiam agas, exercitum supplicio cogere ē
hoc dominum, non imperatorem ē. Hæc atq́ alia majores vestri faciendo, seq́ remq́-
publicam celebravere. Quis nobilitas freta ipsa dissimilis moribus, nos illorum
æmulos contemnit, et oēs honores, non ex merito, s. qs. debitos, a vobis repetit.
Cæterum homines superbissimi procul errant. Majores eorum oīa quæ licebat, illis
reliquere, divitias, imagines, memoriam sui præclaram: virtutem non reliquere
neq́ poterant. Ea sola neq́ datur dono, neq́ accipitur. Sordidum me et incultis
moribus ajunt: quia parum scite convivium exorno, neq́ histrionem ullum, neq́ plu-
ris pretii coquum, quam villicum habeo. quæ mihi lubet confiteri, Quirites. Nam
et ex parente meo, et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus,
viris laborem convenire; omnibusq́ bonis oportere plus gloriæ, quam divitiarum
esse: arma, non supellectilem decori ē. Quin ergo, quod juvat, quod carum æsti-
mant, id semper faciant, ament, potent: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem
agant, in conviviis, dediti ventri et turpissimæ parti corporis: sudorem, pulverem
et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. Verum non est ita